

Colophoniorum, & intus ipsa Colophon, Haleso affluente. Inde Apollinis Clarij phanum, Lebedos: fuit & Notium oppidum. Promotorium Coryceon, mons Mimas ccl. M. pass. excurrent, atq; in continentibus campis residens. Quo in loco magnus Alexander intercidi planiciem eam iusserat vii. M. d. pass. longitudine, ut duos sinus iungeres, Erythrasq; cum Mimate circumfunderet. Iuxta eas fuere oppida Pteleon, Helos, Dorion. nunc est Aleon fluuius, Corinæum Mimate promontorium, Clazomene, Parthenie, & Hippo, Chytophoria appellata cum insula essent, Alexander idem per duo stadia continenti adnexuit. Interiere intus Daphnus & Hermesia, & Sipylum, quod ante Tatalis vocabatur, caput Maonia, ubi nunc est stagnum Sale: ob id & Archæopolis substituta Sipylo, & inde illi Colpe, & huic Lebede. Regredientibus inde abest xij. M. pass. ab Amazone condita, restituta ab Alexandro, in ora Smyrna, amne Melete gaudens non procul orto. Montes Asia nobilissimi in hoc tractu fere explicant se. Mastusia à tergo Smyrnae & Termetis Olympi radicibus iunctus. Is in Dracone definit, Draco in Tmolus, Tmolus in Cadmo, ille in Tauro. A Smyrna Hermus amnis campos facit, & nomini suo adoptat. Oritur iuxta Dorilaum Phrygiae civitatem, multosq; colligit fluuios, inter quos Phrygem, qui nomine genti dato, à Caria eam determinat, Hyllum & Cryon, & ipsos Phrygiae, Mysia, Lydia, amnibus repletos. Fuit in ore eius oppidum Temnos: nunc in extremo sinu Myrmeces scopuli, oppidum Leuce in promontorio quod insula fuit, finisque Ionia Phocæa. Smyrneum conuentum magna pars Aeoliae, quæ mox dicitur, frequentat: præterque Macedones Hyrcani cognominati, & Magnetes à Sipylo. Ephesum vero alterum lumen Asia, remotiores conueniunt Casarienses, Metropolitæ, Cylibiani, inferiores & superiores Mysomacedones, Mastauraenses, Brullitæ, Hypæpeni, Dioshierita.

Aeolis, Troas, Pergamus. CAP. XXX.

AEolis proxima est, quondam Mysia appellata, & quæ Helleponto adiacet Troas. Ibi à Phocæa, Ascanius portus, dein fuerat Larissa. sunt Cyme, Myrrhine, quæ Sebastopolim se vocat: & intus Aegæ, Attalia, Posidea, Neotichos, Temnos. In ora autem Titanus amnis, & ciuitas ab eo cognominata. Fuit & Grynia, nunc tantum portus soli, insula apprehensa. Oppidum Elea, & ex Mysia veniens Caicus amnis. Oppidum Pitane, Canaius amnis. Intercidere Cane, Lysimachia, Atarneia, Carene, Cisthene, Cilla, Cocillum, Thebæ, Astryre, Chrysa, Palæsepsis, Gergithos, Neandros: nunc est Perperene ciuitas Heraclæotes tractus. Coriphos oppidum, amnis Gryliosolius. Regio Aphrodisias, quæ antea Politiceorgas. Regio Sepsis. Flumen Euenû, cuius in ripis interciderunt Lyrnesos & Miletos. In hoc tractu Ida mons. Et in ora quæ sinum cognominavit & conuentum, Adramytteos olim Pedasus dicta. Flumina Astron, Cor-

malos, Eryanos, Alabastros, Hieros ex Ida. Intus mons Gargarao, eodemq; nomine oppidum. Rursus in littore Antandros, Edonis prius vocata, deinde Cimmericis, & Assos, eadem Apollonia. Fuit & Palamedium oppidum. Promontorium Lecton determinans Aeolida & Troada. Fuit & Polymedia ciuitas, & Cryssa, & Larissa alia. Smintheum templum durat. Intus Colone intercudit, deportata Adramytteum negocia. Apolloniata à Rhyndaco amne, Eresij, Miletopolitæ. Pæmaneni Macedones, Aschilæa, Polichnæi: Piontæ: Cilices, Mandagandeni: in Mysia Abretini, & Helleponti appellati, & alij ignobiles. Troadis primus locus Amaxitus, dein Cebrenia: Ipsaque Troas Antigonia dicta, nunc Alexandria, colonia Ro. Oppidum Nee. Scamander amnis nauigabilis, & in promontorio quondam Sigæum oppidum. Dein portus Achæorum, in quem influit Xanthus Simoentri iunctus, stagnumque prius faciens Palæscamander. Cateri Homero celebrati, Rhesus, Heptaporus, Carefus, Rhodius vestigia non habent. Granicus diuerso tractu in Propontida fluit. Est tamen & nunc Scamandria ciuitas parua, ac M. d. pass. remotum à portu Ilium immune, vnde omnis rerum claritas. Extra sinum sunt Rhetea littora, Rheteo & Dardanio et Arisbe oppidis habitata. Fuit & Achilleon, oppidum iuxta tumulum Achillis conditum à Mitylænæis, & mox Atheniensibus, ubi classis eius steterat. In Sigæo fuit & Aeantium à Rhodiis conditum in altero cornu, Aiace ibi sepulto xxx. stad. interuallo à Sigæo, & ipso in statione classis suæ. Supra Aeolida & partem Troadis in mediterraneo est, quæ vocatur Teuthrania, quam Mysi antiquitus tenuere. Ibi Caicus amnis iam dictus oritur. Gens ampla per se, etiâ cum totum Mysia appellaretur. In ea Pionia, Andera, Dale, Stabulum, Conisium, Tegium, Balcea, Tiare, Teuthranie, Sarnaca, Haliferne, Lycide, Parthenium, Thymbre, Oxipum, Lygdanum, Apollonia, longeq; clarissimum Asiae Pergamum, quod intermeat Selinus, præfuit Cetius profusus Pindaso mote. Abest haud procul Elea, quæ in littore diximus. Pergamena vocatur eius tractus iurisdictio. Ad eam conueniunt Thiatyreni, Mygdones, Mossini, Bregmeteni, Hieracomitæ, Perpereni, Tyareni, Hierapolenses, Harmatopolitæ, Attalenses, Pataenses, Apollonidienses, aliæq; in honore ciuitates. A Rheteo Dardanium oppidum paruum abest stad. lxx. Inde xvij. M. promontorium Trapezæ, vnde primum concitat se Hellepontus. Ex Asia interuisse gætes tradit Eratosthenes Solymorum, Lelegum, Bebrycû, Colycantiorum, Trepsedorum. Isidorus Arimos, & Capretas, ubi sit Apamia condita à Seleuco rege inter Ciliam, Cappadociam, Cataoniam, Armeniam. Et quoniam ferocissimas gætes domuisset, iuitio Dameam vocatâ.

Insulæ ante Asiam, Pamphylium mare, Rhodus, Samus, Chius. CAP. XXXI.

Insularum ante Asiam prima est in Canopico ostio Nili, à Canopa Menelai gubernatore (ut ferunt) dicta.